

tur venire, nisi scabini et qui causam suam quaerit et cui quaeritur⁹⁶. Comites et vicarii vel etiam decani plurima placita constituunt, et si ibi non venerint, compositionem eis⁸ exsolvere faciunt. Et quia prius per manninas veniebant, excogitarunt, ut per bannos venirent ad placita; et dixerunt domino imperatori, quod propterea melius esset, ne ipsas manninas alterutrum solverent⁹⁷. Haec autem ideo fecerunt, ut ipsi bannum acciperent. Et in tantum exinde afflicti sunt pauperes, ut unde prius centum in exercitu ire poterant, vix quinque aut sex pergant⁹⁸. Et in his omnibus non solum
 180 [non]^h solvunt⁹⁹ fasciculos secundum Isaiam *deprimentes*, sed etiam superaddunt fasciculos super miseros et egentes. Quando enim sperant aliquid lucrari, ad legem se convertunt, quando vero per legem non aestimant acquirere, ad capitula confugiunt; sicque fit, ut nec capitula pleniter observentur, sed pro nihilo habeantur, nec lex. Omnia enim mala lex veteris testamenti damnat. Sed dominus dixit discipulis suis, id est omnibus Christianis: Amen dico¹⁰⁰ vobis, nisi abundaverit iustitia vestra plus quam scribarum et pharisaeorum, non intrabitis in regnum caelorum. Illis enim dictum¹⁰¹ est: Non occides, nobis autem: Non irascaris. Illis dictum¹⁰² est: Non adulterabis, nobis autem: Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam moechatus est eam in
 190 corde suo. Illis dictum¹⁰³ est: Non periurabis, nobis autem: Nolite iurare omnino. Illis dictum¹⁰⁴ est: oculus pro oculo, dentem pro dente, et reliqua, nobis autem: Dimitte¹⁰⁵ et dimittitur vobis. Et si¹⁰⁶ quis te percusserit in dexteram maxillam, praebe ei et alteram. Illis prohibetur rapere, nobis autemⁱ propria dare, sicut dominus dixit: Date¹⁰⁷ eleemosynam et omnia munda erunt vobis.

8) eius Hinkmar, *Ad episc.*; wohl zu lesen: eos.

h) ergänzt nach Hinkmar, *Ad episc.*

i) danach ein Verbum zu ergänzen wie dictum est, iubetur o. ä.

96) Vgl. Capitulare Aquisgranense (809) c. 5 (MGH Capit. 1 S. 148 Z. 28–30) = Ansegis 3, 51 (ebd. S. 431 Z. 7–9).

97) Eine einzelne derartige Anordnung Karls ist nicht überliefert; zur Sache vgl. Waitz, *Verfassungsgeschichte* 42 S. 383 ff.

98) Siehe oben S. 517.

99) Is. 58, 6.

100) Matth. 5, 20.

101) Matth. 5, 21 f.

102) Matth. 5, 27 f.

103) Matth. 5, 33 f.

104) Matth. 5, 38.

105) Luc. 6, 37.

106) Matth. 5, 39.

107) Luc. 11, 41.